



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Orationibus Iaculatoriis Libri IV. Ascetici, Seu ad exercitationem spectantes

Balinghem, Antoine de

Antverpiae, 1618

Cap. V. Quibus externis praesidiis opus habeant orationes iaculatoriae vt
benè fiant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51085)

CAPVT V.

*Quibus externis praesidiis opus habeant
orationes iaculatoriae ut bene fiant.*

QUAE dicturi sumus deinceps, ea ferè o-
mnia nō minùs orationi vniuersè sum-
pta, quàm hisce breuioribus aptari possunt.
Sed non ideo omittēda, imò verò eò incul-
canda magis; quò vberior eorum fructus est
futurus. neque verò est id nouum vde parte
disputationem instituenti, plurima inferen-
da, ingerendaq; sunt, quæ ipsius generi con-
uenire videantur. Ac primùm quidem occur-
rit sermo, atque de diuinis rebus collocutio,
magnum sanè orationis adiumentū de qui-
bus ita S. Bonauētura, lectio, & collatio bonæ,
sunt quasi seminaria, & materia oratio-
nis. Vnde qualia vis tibi oranti occurrere in
cogitatione, talibus colloquiis, lectionibus
aut negotiis priùs occupare stude memoris
quia qualis liquor vasi infunditur taliter re-
dolebit, & quales herbas in horto cordis tui
plantaueris, talia semina germinabunt. Col-
latio spiritualis instruit intellectum, affectū
inflamat, memoriam bonæ & sanctæ cogi-
tationis prole fœcundat: sicut è conuersio o-
tiosa fabulatio tempus perdit infructuosè,
affectū infrigidat, inutiles cogitationes cor-
di inserit, conscientiam rodit, profectū spiri-
tualem

De pro-
fecture-
ligio so-
rum l. 2.
c. 58.

tualem impedit, pœnam meretur. Lectio talis frequentetur de qua postea non sit inutile in oratione cogitare, quæ illuminet ad Dei notitiam, accendat ad eius amorem, mores bonos instruat, animet ad tollerandum aduersa, mundi contemptum ingerat, desiderium patriæ cælestis inferat, doceat discernere inter vitia & virtutes, & vincere tentationes, & alia vtilia ad salutem.

Quæ quidem D. Bonauenturæ præceptiones hoc magis in breuioribus orationibus seruandæ videntur, quo sunt illæ frequentiores: longioribus enim verbi causa quæ matutino tempore fiunt, non ita efficiunt aut pridiana lectio, aut sermones inutiles, cum à nocturna quiete phantasmata inde collecta, vniuersa ferè obliterentur: verum si tibi statim vel ab inutili lectione, vel à vana confabulatione sit aspirandum ad Deum, vel etiam in his ipsis, eas scilicet interrumpendo, interpellandoque: quàm tibi distracta, quamque dissipata sit mens futura, satis credo intelligitur.

Sed pergit monere Bonauentura ne immoderata sit lectio, nimiaque cum auaritate suscepta, ne uè orationibus iaculatoriis tempus præripiat. Lectionem (inquit) sæpe interrumpat oratio, sicut & alias actiones, ut sæpe mens ad Deum eleuetur, à quo omne bonum fluere necesse est. Hæc D. Bonauent.

Occurrebat alia etiam lectio, eius scilicet rei, quam inter orandum quisque sibi mente agendam proponit, quae quidem vel pridie sub noctis tempus, vel eo ipso die instituenda est: Nam quemadmodum fieri non potest, ut qui tabulam pingit simul penicillum aptet sibi, coloresque misceat, temperetque: Ita rarissimum est bene meditari illum, qui inter meditandum, materiam quaerit quam menti repraesentet. Praeparabat olim Salomon, quod idem & modo vsui esse potest) foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, & postea aedifices domum tuam. Verum spectat hoc monitum longiores orationes: breuioribus enim nostris sua semper est in promptu materia in qua versentur.

Prou.
24.

Alterum eorum adiumentum est corporis mortificatio, de qua haec S. Augustinus. Ieiunia (inquit) & ab aliis voluptatibus (sine salutis neglectu). carnalis concupiscentiae refrenatio, maximaque eleemosynarum adiuvant orationem, ut possimus dicere: In die tribulationis meae Deum exquisivi manibus meis, nocte coram eo, & non sum deceptus. Quomodo enim Deus incorporealis & impalpabilis manibus exquiratur, nisi operibus exquiratur? Haec Augustinus. Et sane quemadmodum aromata, nisi igne non accenduntur. Ita orationem (quae spirituale

Epist.
121.

Psal. 76.

tuale quoddam est aroma, ut multis locis tradidit Sancti Patres) igne sponte assumptæ mortificationis, feruere necesse est. Quocirca qui in orationis studium incumbit, mortificationis curam abiectam, perinde facit atque is qui per se igneque non adhibito aromata velit nihilominus ignem concipere. Quid? an non ^{Cant. 5.} prædicat in Canticis sponsus demersuisse se ^{1.} myrrham suam cum aromatibus; Alterum alteri videlicet coniugandum est, & mortificationis myrrha, orationis aromatibus socianda. Quid? An non iisdem in canticis nuntiat se ^{Cant. 4. 6} conscensurum sponsus montem myrrhæ & collem thuris? Insolubilibus nimirum vinculis sibi myrrha & thus, maceratio corporis, orationisque; fragrantia coherent, nec Deum ^{Cant. 3. 6.} delectantve aromata orationis, que non myrrham, vniuersoque puluere pigmentario promanant, id est ex corporis maceratione quam paræ animi appetiones ita tunduntur, ut in tenuissimum puluerem redigantur.

Haud parum etiam ad bene orandum habent momenti exteriores occupationes, operanturque, si quemadmodum oportet assumantur, obeanturque: quod mirum sane videri posset, nisi id tum usu ipso, tum grauissimorum virorum auctoritate constaret. Ac Cassianus ^{l. 2. inf. c. 14.} quidem de ea re ita disserit. Ægypti (inquit) Monachi pariter exercentes corporis animaque; virtutes, exterioris hominis stipendia

E e s cum

cum emolumentis interioris exaquant, lubricis motibus cordis & fluctuationi cogitationum instabili, operum pondera, velut quandam tenacem, atque immobilem anchoram praefigentes, cui volubilitas ac peruagatio cordis innexa, intra cellae claustra, velut in portu fidissimo valeat contineri, atque ita spirituali meditationi tantum, & custodiae cogitationum intenta, non modò ad cõsensum prauae cuiusque suggestionis, peruigilem mentem corruere non sinat; verum etiam ab omni superflua otiosaque cogitatione custodiat: Ita vt quid ex quo pendeat haud facilè possit à quoquam discerni: id est vtrum propter meditationem spirituale, incessabile manuum opus exerçant, an propter operis iugitatem tam praclarum spiritus profectum, scientiaeque lumen acquirant. Haec Cassianus.

Queruntur quidem plerique obrui sese, extinguique quidquid in iis est deuotionis, distrahique animum in varias partes, ab exterioribus hisce negotiis, ita vt iis statò tempore vel non libeat ad Deum aspirare, vel si libeat id oscitanter admodum languideque ab illis fiat: Verum immeritò eos queri non est difficile probare, neque enim tam est ea negotiorum culpa, quàm ipsorum, qui in iis obeundis neque debitum modum, neque ordinem tenent. Maximà vtique sunt inter
sc

se propinquitate iūctæ Mariæ & Martha, utpote germanæ, quia nec contemplatiua vita actiuam, neque hæc illâ impedit: immò verò altera alteri ut sorori & præsidio est & solatio. Oratio enim actioni opitulatur, & illa ab hac benè obita, non parum iuuatur. Atque hinc etiam Monachis Ægypti teste Cassiano solemne erat inter operandum etiam mente in Deum erigi, manibusque quidem Martham, animo verò Mariam æmulari, ita ut & operando contemplarentur, & contemplando operarentur. Sed præstat ipsemer loquatur Cassianus.

1.3. inf.
c.2.

Ita inquit ab Ægypti monachis incessanter operatio manuum priuatim per cellulas exercetur, ut psalmorum quoque vel cæterarum scripturarum meditatio numquã penitus omittatur, cui preces & orationes per singula momenta miscentes, in his officiis quæ nos statuto tempore celebramus, totum diei tempus absumpunt. Atque plus est id quod incessanter ab iis offertur, quàm quod per temporis interualla persoluitur: & gratius est volūtarium munus, quàm functiones quæ canonicâ compulsionem redduntur. Et sanè (ut præclare dictum à Bernardo) hoc maximè curant, spiritualibus exercitationibus dediti, taliter se circa exteriora occupare, ut deuotionis spiritum non extinguant; vnde licet extrinsecus bonorum operum

Serm.
ad solitarios.

exer-

exercitiis fatigentur in corpore, intrinsecus tamen reficiuntur in mente.

Vtinam horum similiumque vestigiis insistant, religiosi potissimum, quorum quidem vitam omnem spiritu constare oportet, atque in iis sint quos modò commemoraturus sum ex Sancto Ioanne Climachotum ex historia ordinis D. Francisci.

e. 4. non
procul
ab ini-
tio.

Non præteribo silentio, (ita quidem Climachus) coqui monasterij cuiusdam admirabilem, singularemque virtutem (alebarid monasterium ordinariè ducentos & triginta extra hospites) cum enim illum animaduertentem in tam frequenti, perpetuoque ministerio iugiter secum habitare, gratiamque possidere lacrymarum, oravi supplex, ut mihi quonammodo meruisset huiusmodi gratiam, reuelare dignaretur. Qui tandem precibus fatigatus meis ita respondit. Numquam me hominibus seruire arbitratus sum, sed Deo, & indignum me ipsum quiete omni iudicans, ex huius ignis contemplatione, sempiterni incendij iugi memoriâ compungor.

Vides quâ ratione actio orationi adminiculatur, quando quas res in manibus habemus ita tractamus, ut iis tamquam quibusdâ gradibus ad cælestia cogitanda sustollimur. Mirabilis planè res est oratio, omnibus omnino rebus utitur rectè, omniaq; ad sui vsum

sum conuertit, & quod cæteris aut impatientiæ aut murmurationis ansam præberet, illud ipsum adhibet ad sui demissionem, ad peccatorum expiationem, ad diuinæ miserationis impetrationem.

Historia Franciscana de altero item coquo, aliud haud absimile narrat, quod compendio recitabo. Cōsueuerat is coquinæ officii, ministeriisque perfunctus se in cellam suam recipere orandi cælestiaq; meditandique causâ, quo quidem tempore tantâ cælestium gaudiorum donorumq; copiâ mentem eius complebat diuina bonitas, ut se ipse miraretur: quare in eam venit cogitationem, ut sibi persuaderet, si coquinæ ministeriis liber plus temporis sermocinationi cum Deo tribuisset, vberiora etiam in dies singulos dona, Dei liberalitate percepturum. Adito itaque moderatore suo, req; totâ, atque imprimis voto suo missionis accuratè exposito, eaq; haud egre impetratâ, omnibus iam exterioribus solutus curis, precationi se dat totum, ratus præclarè secum actû esse, quod deinceps omni vacuus curâ, cogitationeque pereuntium ciborum, eum operaretur cibum qui non perit, sed permanet in vitam æternam; Verum spe suâ miser falsus, proprio didicit vsu quanti ad rectè orandum intersit, charitatis, ac demissionis sui obire actiones. Tantum enim abest ut ei in quiete
illa

Parte 3.
hist. l. 10
c. 19. citatur à
patre
Aria 3.
parte
orationis
mē-
talis.
c. 5.

Ioan. 6.
27.

illa à coquinæ laboribus vlla fieret aut sensus gustusque cælestium, aut diuinarum accessio voluptatû, vt etiam numquam earum tam fuerit egens. Quare prioribus coquinæ ministeriis reddito, reddita est item pristina orationis gratia: quin etiam eadem nouo est feruore cælestiumque incremêto charisma, oblectationumque cumulata. Atque hæc historicus; quò spectant etiam quæ supra memini allata de sanctissima virgine Catharina Senensi, quæ licet vili, operosoque coquinæ famulatu in varias distracta partes, ita nihilominus sibi, Deoque præsens erat, vt numquam à secreto illo, quod sibi in seipsa erexerat conclaui sui sponsi, ne momento quidem, pedem efferret.

Ex his conficitur, non officere negotia otio spirituali, modò ne iis quispiã se immergat totum: atque non minùs verè quàm scitè dictum à Bernardo. Piæ operationis, orationem deuotum esse reclinatorium, & deuotæ orationis exercitationem, præbere bonorum operum fulcimentum.

Denique iuuantur iaculatoriæ orationes exterioribus & sub aspectum cadentibus signis, quorum vel intuitu, vel perceptione excitetur quis ad orandum, & ad Dei memoriam; memoria enim cogitationem parit, cogitatio desiderium, hoc postulationem, quæ orationis natura constat. D. quidem Bernardus

Homil.
2. de discipulis
euntibus
in Emmaüs.

nardus magnum ponit momentum in Christi Domini sacra imagine, cuius vel solo intuitu vehementer eos permoueri dicit, qui erga eius corpus, eaque omnia quæ in corpore gessit, potissimum afficiuntur. Hoc (inquit) repletus amore, facile ad omnem de huiusmodi amore sermonem compungitur, nihil audit libentius, nil legit studiosius, nil frequentius recolit, nihil suauius meditat. Inde holocausta orationum tamquam ex adipe vituli saginati impinguat. Adstat oranti hominis Dei sacra imago, aut nascētis aut lactentis, aut docentis, aut moriētis, aut resurgētis, aut adscendentis & quidquid tale occurrerit, vel stringat necesse est animū in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fuget ille cebras, desideria sedet.

lib. 50.
homil.
hom. 20

D. Augustinus, pluribus etiam cōmendat Christi cruci affixi aspectum, & sacra historia, fidem facit maioribus nostris solemne fuisse ad crucis simulacra, diuorumque imagines preces suas fundere, neque id in templis modò, verum etiam in priuatis ædibus, quæ res præter religiosum sanctorum cultum, christianæque fidei professionem, tum deuotionem ciet, tum mentem tacitâ quâpiam voce sed efficaci ad orandum sollicitat. Atque hæc de iis externis rebus, quibus iaculatoriæ orationes non parum iuuantur, dicta sunt.

Vid.
Gretserum de
cruce.